


Die
ss

not

56 53

DE
BONIS ANGELIS
DEI FILIIS
COMMENTATIO.



PROGRAMMA

S. ARCHANGELI MICHAELIS
FESTO

A. R. S. M D C C L X I V.

IN

ACADEMIA IULIA CAROLINA

P. P.

HELMSTADII

TYPIS VID. F. D. SCHNORRII

ACAD., TYPOGRAPH.

ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE

VICE-RECTOR

ET

SENATVS ACADEMICVS
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.

Bene multae in sacris litteris occurunt bonorum angelorum denominationes; quae, cum partim ab essentia et natura, partim ab officio et munere illorum desumptae sint, nostrae eorundem cognitioni egregie inserviunt, adeoque in illo doctrinae christiana capite, quod de bonis angelis praecepit, locum forte principem obtinent. Scilicet, post ipsam illam generalem frequentissimamque angelorum, h. e. missorum, vel legatorum, denominationem, quam a ministerio, quod Deo aleganti illos praefstant, sortiti sunt, Dan. VII, 10. Hebr. I, 14. quamque non solum cum malis angelis communem habent, Matth. XXV, 41. sed et quibusvis legatis aliis, vel Dei, ut Filio Dei, Gen. XVI, 7. 13. Ex. XIX, 3. 20. XXIII, 20. 21. coll. Act. VII, 38. Hebr. III, 1. sacris doctoribus, Hag. I, 13. Mal. II, 7. III, 1. Matth. XI, 10. Apoc. I, 20. immo ipsis rebus inanimitis, Ps. LXXXIX, 49. 50. vel hominum, Gen. XXXII, 4.

A 2

Num.

Num. XX, 14. Jof. VI, 17. 25. Luc. VII, 24. IX, 52. Jac. II, 25.
modo absolute angeli dicti, Gen. XIX, 1. 15. Matth. XIII,
39. 49. Jo. XII, 29. Hebr. XII, 22. XIII, 2. modo restrictive,
angeli Dei, vel Domini, Gen. XXXII, 2. Matth. I, 20. Luc.
XV, 10. angeli potentiae Dei, II. Thef. I, 7. angeli coelo-
rum, vel qui in coelis sunt, Matth. XXIV, 36. Marc. XII,
25. angeli sancti, Matth. XXV. 31. coll. Dan. VIII, 13. Iob.
XV, 15. IV, 18. angeli electi, 1. Tim. V, 21. coll. Col. III,
12. angeli boni, Tob. V, 21. et angeli lucis, II. Cor. XI,
14. dicuntur praeterea venti et spiritus, Ps. CIV, 4. Hebr.
I, 7. Cherubim, Gen. III, 24. coll. Hebr. IX, 5. Seraphim,
Jef. VI, 2. flammæ ignis, Hebr. I, 7. stellæ ma-
tutæ, Job. XXXIX, 7. exercitus coeli, vel Dei, Gen.
XXXII, 3. 1. Reg. XXII, 19. Luc. II, 13. currus Dei, Ps.
LXII, 18. coll. II. Reg. VI, 17. ministri et servi Dei, Ps.
CIII, 21. CIV, 4. Iob. IV, 18. heroes robore, Ps. CIII, 20.
coll. Ap. V, 2. et vigiles, Dan. IV, 10. ut plures denomina-
tiones incertas, e. g. cum Matth. VI, 26. coll. c. XIII,
4. 19. aves coeli appellari existimantur, non attingamus.
Restat tamen adhuc denominatio filiorum Dei, non mi-
nus certa quam foecunda, eaque digna nobis visa, quam
in hac Commentatione, S. Archangeli Michaelis festo
praemittenda, non attingeremus taltem, sed ex instituto
uberiusque ita excuteremus, ut primo homonymia deno-
minationis illius; secundo loca Scripturae, quibus, ex-
clusis quidem malis angelis, bonis angelis tribuitur; ter-
tio rationes denominationis; et quarto denique usus hu-
ius argumenti, Vobis, Cives perdilecti, sufficienter inno-
tescant. Ipse autem ille Angelus increatus faciei Dei, in
quo est nomen Dei, immo ipsa Dei facies, idemque
Angelus foederis, et interpres, unicus ex millibus, in-
dicans homini rectitudinem suam, Jef. LXIII, 9. Ex. XXIII,
21. XXXIII, 14. 15. Mal. III, 1. Iob. XXXIII, 23. coll. Io. I,
18. ad-

18. adsit nobis, et per Hodegum suum, Spiritum Sanctum, ducat nos in omnem veritatem!

Filiorum Dei composita denominatio, pro multifario, cui vel simplex filii nomen in sacris subiacet, usu, diversis diversimode competit. Quemadmodum enim relativum illud patris nomen, non solum proprie genitorem, tam immediatum quam mediatum, notat, Gen. XXII, 7. XXVIII, 13. sed et impropre quemvis auctorem, productorem, causamque efficientem, Gen. IV, 20. 21. Iob. XXXVIII, 28. Jo. VIII, 44. exemplar qualitatis principium, istam qualitatem maxime possidens, II. Cor. I, 3. Iac. I, 17. Rom. IV, 11. 12. 16. 18. evergetam benevole affectum, Job. XXIX, 16. coll. c. XXXI, 16. seq. doctorem, i. Sam. X, 11. 12. II. Reg. II, 12. procuratorem et gubernatorem, Gen. XLV, 8. dominum et principem, II. Reg. V, 13. i. Sam. XXIV, 12. Jef. XXII, 21. immo in genere arctius cum aliquo coniunctum, Job. XVII, 14. sic simili ratione filii nomen, tum proprie natum immediatum et mediatum, cuiuscunque sexus et generis, ne bestiis quidem exceptis, significat, Gen. IV, 25. XXIX, 5. III, 16. XLIX, ii. tum impropre, ab aliquo productum et effectum, Gen. XLIX, 22. Job. V, 7. rei alicui maxime deditum, vel ab ea quasi possessum, Luc. XVI, 8. Eph. V, 6. beneficiarium, quibuscunque, cumprimis parentum, beneficium affectum, Ex. II, 9. 10. Act. VII, 21. Hebr. XI, 24. coll. i. Reg. XI, 19. 20. discipulum, i. Reg. XX, 35. Prov. I, 8. Matth. XI, 19. alicuius gubernationi vel imperio subiectum, Gen. XLIII, 29. Jos. VII, 19. i. Sam. XXIV, 17. et in genere ad aliquid quoconque modo pertinens, vel cum illo arctius coniunctum, sive loco, Iob. XLI, 20. Jer. II, 16. Matth. XXIII, 15. sive tempore, Gen. XVII, i. Ion. IV, 10. sive alia ratione, ut quum quis filius eius

rei dicitur quam consequitur, Jo. XVII, 12. Rom. IX, 8. Eph. II, 3. II. Petr. II, 14. Atqui filii Dei denominatio relationem quandam ad Deum infert, pro cuius diversitate his illisque in Sacra Scriptura diversimode tribuitur. Sensu quidem proprio, strictissimo et eminentissimo, solus ac totus ille Θεός θεων, Iesus Christus, Filius Dei dicitur, ob prorsus singularem ipsius ad Deum Patrem relationem, propter quam etiam Filius Dei proprius, Rom. VIII, 32. coll. Io. V, 18. unigenitus, in sinu Patris existens, Jo. I, 18. III, 16. coll. Num. XI, 12. Prov. VIII, 30. primogenitus, Hebr. I, 6. Col. I, 15. 18. immo simplieiter Filius, Ies. IX, 5. vel cum Articulo emphatico Filius ille, Jo. III, 35. 36. cognominatur; ac quidem non solum quoad divinam naturam, qua per aeternam generationem eandem cum Patre essentiam, secum ab illo communicatam, possidet, Ps. II, 7. Hebr. I, 3. II. Cor. IV, 4. sed et quoad humanam, ob personalem huius cum divina unionem, Luc. I, 32. 33. Jo. XIV, 9. Rom. I, 4. Phil. II, 9. sq. cuius arctissimae relationis consequens est, quod Pater ut Pater erga Filium, atque Filius ut Filius erga Patrem se gerat, Hebr. I, 3. coll. Jo. XIX, 26. 27. dum Pater hunc suum Filium cognoscit, Jo. X, 15. amat, c. III, 35. honorat et glorificat, c. VIII, 54. II. Petr. I, 16. 17. ei omnia ostendit quae ipsem et facit, Jo. V, 20. omnia quae habet cum eo communicat, c. XVI, 15. XVII, 10. omnia in manum eius dedit, c. III, 35. omne iudicium ei dedit, c. V, 22. eum non solum relinquit, sed cum eo est, c. VIII, 29. XVI, 32. eum docet, c. VIII, 28. omniumque haeredem constituit, Hebr. I, 2. Filius vero vicissim Patrem cognoscit, Jo. VIII, 55. compellat, Ps. LXXXIX, 27. Matth. XXVI, 39. coll. Rom. VII, 15. amat, Jo. XIV, 31. honorat, c. VIII, 49. ei servit, Ies. LII, 13. coll. Mal. III, 17. nihil potest facere a se ipso, nisi quod vide-

viderit Patrem facientem, quaecunque Pater fecerit, si-
 militer faciens, Jo. V, 19. coll. c. VIII, 39. X, 37. 38.
 verbum Patris servat, sicut praecepit sibi Pater faciens,
 c. VIII, 55. XIV, 31. et quae sunt alia, vel officia, vel privi-
 legia competentia, quorum plurima ipsem est Servator ex
 filiatione sua derivavit. Atque de eodem Dei Filio, eo-
 dem illo sensu, divus Paulus Hebr. I, 4. 5. coll. c. II, 2. 3.
 scripsit: tanto melius factus vel ipsis angelis, quanto excel-
 lentius ($\deltaιαφορώτερον$ magis differens) prae illis haereditavit
 nomen. Cui enim angelorum unquam dixit: filius meus tu
 es, ego hodie genui te? neutiquam hisce austerens, denomina-
 tionem istam nullo plane sensu bonis angelis aliisque
 competere. Nimurum, sensu proprio, latiore et infe-
 riore, res creatae etiam Dei filii dicuntur. Ipsaem res
 creatae inanimatae et irrationales, veluti relatione origi-
 nis, dependentiae, et subiectionis, cum Deo, ipsarum
 causa efficiente, conservatore, gubernatore et domino,
 remotissime coniunctae, remotissime quoque Dei filii
 sunt. Certe ratione totius rerum contingentium ambi-
 tus, qua patet amplissimi, Deo paternitas adscribitur,
 Eph. III, 15. I. Cor. VIII, 6. coll. Neh. IX, 6. Col. I, 16. 17.
 Matth. VI, 26. 30. I. Cor. IX, 9. si vel maxime res ina-
 nimatae et irrationales haud explicite Dei filii dicuntur.
 Attamen ita et dicuntur res creatae animatae et rationa-
 les, homines, cum Deo proprius coniuncti, ne exceptis
 quidem ipsis impiis, alioquin diaboli et mundi filiis, Jo.
 VIII, 44. I. Jo. III, 10. Luc. XVI, 8. Enimvero, quoad
 hos, idem non tantum cum rebus inanimatis ac irrationa-
 libus relationem istam ad Deum communem habent, immo
 illas hac relatione ex parte adhuc superant, tanquam spe-
 ciali Dei providentia frumenta, et non tam dominio quam
 imperio Dei subditi, verum etiam gaudent relatione ac-
 cessoria similitudinis et convenientiae, ob imaginem divi-
 nam

nam, cuius, licet maximam partem amissae, varias ta-
 men, qua corpus et animam, adhuc prae se ferunt reli-
 quias, et quae in rebus inanimatis ac irrationalibus saltem
 longissime minor conspicitur; ne quid de eo iam dicam-
 us, quod, licet indigni, Luc. XV, 19. dummodo volue-
 rent, per regenerationem genuinae illius filiationis sem-
 per fieri possint participes, coll. Gen. VI, 2. 4. ubi Sethitae,
 contradistincti Kainitae, iisque minus probi, filii Dei di-
 cuntur, cum c. IV, 26. Ief. XLIV, 5. item Gen. IX, 6. Mal.
 I, 6. II, 10. Matth. V, 45. Act. XVII, 28. Io. I, 12. Inter-
 rim omnium maxime et frequentissime, filiorum Dei no-
 mine, quasi quoddam novo et excellentissimo nomine,
 Ap. II, 17. I. Jo. III, 1. Jef. LVI, 5. I. Sam. XVIII, 23. ve-
 niunt pii homines, cuiuscunque sexus, et novae inpri-
 mis oeconomiae, cum Deo, quantum humanitatis limi-
 tes permittunt, relatione iuncti arctissima, Gal. III, 26.
 Rom. VIII, 14. I. Jo. III, 2. II. Cor. VI, 18. Hi scilicet
 non modo a Deo, qua totius universi creatore & conser-
 vatore, impropre sunt geniti, sed et ab eodem, qua vi-
 tae hominum spiritualis auctore, secundum ipsius imagi-
 nem regeniti, Jac. I, 18. Col. III, 10. Eph. IV, 24. coll.
 Gen. V, 3. Hinc ipse Deus hos suos filios sibi simillimos
 accuratissime cognoscit, II. Tim. II, 19. Jo. X, 14. coll.
 Matth. VII, 23. eos nomine suo vocat, Jef. XLIII, 1.
 coll. c. XL, 26. Jo. X, 3. tenerrime amat, c. XIV, 23.
 XVI, 27. idque demonstrat, miserendo, Ps. CIII, 13. Jef.
 XLIX, 15. 16. parcendo, Mal. III, 17. corrigendo, Hebr.
 XII, 5-10. docendo, Jef. XLIX, 17. Jo. VI, 45. coll. Deut.
 IV, 10. admonendo et adhortando, II. Cor. V, 20. I. Cor.
 IV, 14. I. Thes. II, 11. confortando, Jef. LXVI, 13. II. Thes.
 II, 16. 17. honorando, Jo. XIII, 26. sustentando, Ps. XXXIII,
 18. 19. Matth. VI, 25. 26. 28. 30. protegendo, Jo. X, 29.
 Matth. XXIII, 37. et quae sunt aliae paterni immo mater-
 ni

ni amoris demonstrationes, ad providentiam Dei specia-
lissimam, qua pii privative fruuntur, pertinentes. Pii ve-
ro homines, tanquam filii, partim Deo patri suo, vici-
sim ab ipsis cognito, i. Jo. II, 13. 14. Io. X, 14. maxime dedit,
quaevis officia filialia praestant, ut compellationis, amo-
ris, venerationis, timoris, confidentiae, obedientiae, imi-
tationis, et servitii, Rom. VIII, 15. Ps. XVIII, 2. Dan. III,
17. Apoc. XIX, 5. i. Petr. I, 14. Eph. V, i. VI, 7. coll. Phil.
II, 22. partim liberum ad Deum patrem habent accessum,
eoque familiarissime utuntur, Rom. V, 2. Eph. II, 18.
III, 12. Hebr. IV, 16. X, 22. partim denique, tum, quoad
hanc vitam, quovis Dei peculio bonoque legitime uti,
et quodvis beneficium a Deo sibi expetere possunt, I. Cor.
III, 21. sq. VIII, 9. Ap. II, 26. Matth. VII, 9 - 11. Luc. XI,
11 - 13. tum, quoad futuram, thesauri instar depositi hac-
reditatisque, exspectant plenissimam Dei, omniuumque
quae eius sunt, fruitionem, quae summum filialis illius
dignitatis gradum constitueret, Rom. VIII, 17. 19. i. Jo.
III, 2. coll. II. Cor. XII, 14. Atque hos Dei filios, eos-
demque θεωρέαν fratres specialissimos, Jo. XX, 17.
Hebr. II, 11, 12. fideles scilicet novae oeconomiae, typice
in veteri oeconomia praefigurarunt Judaei, et ipsi, mo-
re orientalium, apud quos filii a patre nominabantur, fi-
lli Dei nominati, licet gradu exiliore, Ex. IV, 22. 23.
Deut. XIV, 1. Jer. XXXI, 9. Matth. XV, 26. Involvit
nempe ista peculiaris Judaeorum ad Deum relatio, tum
maxime quidem, varias praerogativas externas, quibus il-
li ab omnibus reliquis veteris oeconomiae populis distin-
cti fuerunt, quum Deus hos filios adoptives et foedera-
tos singulari amore, communione, cura, moderamine et
tutamine dignatus est, ipsa terra Canaan haereditariae in-
star portionis eis donata, Deut. VII, 6. Ps. CXLVII, 20.
Rom. IX, 4. 5. Dcut. XXXII, 6. 9. sq. Jes. I, 2. XLVI, 3.

4. Jer. XXXI, 28. Hof. XI, 1. tum vero etiam, praerogativas magis internas, externarum illarum collatione simul intentas, et ad internam propiorem cum Deo coniunctionem pertinentes; quibus tamen posterioribus pii saltē Iudei veteris oeconomiae fructi sunt, ipsique multo minus quam quicunque novae oeconomiae fideles, Rom. VIII, 15. Gal. III, 23-29. IV, 1-7. Tandem denuo, inter ipsos illos Iudeeos, speciatim magistratus inferiores, a supremo Domino Deo constituti, filiorum Dei titulo insigniti sunt; cum quo convenit, quod iudem, licet μὴ φύσει ἔτες θεοί, Gal. IV, 8. vel Dii ipsi nominentur; perinde ut apud gentes personae principes, et summis honoribus virtutibusque conspicuae, Pf. LXXXII, 6. l. Ex. XXI, 6. XXII, 7. 8. 27. Jo. X, 34. 35. Act. XXIII, 5. coll. l. Cor. VIII, 5. Nimirum magistratus illi, praeter relationem istam communem, peculiari quadam originis et dependentiae relatione cum Deo adhuc iuncti erant, nec non peculiari similitudini et convenientiae relatione, tanquam variis suis praerogativis, ac maxime quidem dominio, imaginem Dei prae se ferentes, atque ut Dei haeredes et vicarii in terra habendi et honorandi; ne plura brevitatis studioſi addamus, Rom. XIII, 1. seq. coll. Gen. I, 26. 27. l. Cor. XI, 7.

Anne vero etiam boni angeli honorifico filiorum Dei titulo in sacris litteris condecorantur? Ita sane est. Fuerunt quidem qui, vel ex finistra loci illius Hebr. I, 4. 5. interpretatione, vel ex aliis rationibus hoc negarunt, vel in dubium saltē vocarunt. At nos ex quatuor locorum bibliorum tenore et contextu probabimus, in his ipsis bonos angelos non minus Dei filios vocari, quam in aliis, ut Pf. VIII, 6. coll. Hebr. II, 7. Pf. XCIV, 7. coll. Hebr. I, 6. Dii vocantur; praemissō uno loco, in quo Deus relative angelorum pater dicitur. Exstat hic locus Hebr. XII, 9. ubi

ubi Deo nomen patris spirituum ab Apostolo tributum legimus. Iam Deus est pater, vel auctor, non solum spirituum omnis carnis, seu animarum, Num. XVI, 22. XXVII, 16. sed et reliquorum spirituum, adeoque angelorum, qui aequae ac animae πνεύματα dicuntur, Hebr. I, 14. Luc. X, 20. 1. Cor. V, 5. VII 34. Nec est quod vel Deum, patribus carnis nostrae in contextu oppositum, saltem animarum patrem h. l. dici existimemus, quem Apostolus, hoc innuens, τῷ τῷ πνεύματος ἡμῶν πατέρι analogie scripsisset, nec plurali, eoque illimitato, usus esset; vel quod patrem spirituum pro patre spirituali accipiamus, quem hanc explicationem analogia contextus numerosque multitudinis aegre admittant. Sunt ergo h. l. spiritus, quicunque spiritus, adeoque et angeli. Sicut autem Deus est angelorum bonorum pater, ita hi sunt ipsius filii; idque nunc ex quatuor locis aliis probabimus. Primus horum esto Iob. I, 6. ex fontium versione ita se habens: *et factum est quicdam die, et venerunt filii Dei ad sistendum se apud Dominum, et venit etiam Satanás in medium eorum; que totidem verbis repetuntur c. II, 1.* nisi quod hic in fine ex praecedentibus addatur: *ad sistendum se apud Dominum, unde eadem verba et illic in fine addiderunt Chald.* (sec. Ed. Reg. ex qua tantum in Vers. Lat. Ed. Polygl. Angl. irrepererunt) Syr. et Ar. Interpretes. Vtrobique filii Dei sunt boni angeli; consentientibus non scilicet optimis quibusque Interpretibus recentioribus, sed et nonnullis veteribus; siquidem ipse ille Chaldaeus pro filiis Dei substituit: *turmae (seu catervae) angelorum,* LXX vero et Armenus: *angeli Dei.* Arque rationes illius interpretationis hae sunt. Primo, illis Dei filiis, qui ad sistendum se apud dominum con venerunt, opponitur Satanás, qui licet ab illis diversus, modo tamen illorum praesentiae et congregationi con-

formi, inter eosdem apparuit. Iam vero hic Satanas non fuit homo quidam inimicus, quamvis nomen Satanae, *adversarium* significans, de eiusmodi homine nonnunquam adhibetur, i Reg. XI, 23, 25. i Sam. XXVIII, 4. II. Sam. XIX, 23. Matth. XVI, 23. sed malus quidam angelus, nomine malis istis spiritibus communi Satanas dicitur, Matth. XII, 26. Marc. III, 23. vel potius iste malorum angelorum omnium princeps, idemque, aequo ac illi, Dei hominumque adversarius infensissimus, qui frequenter et antonomastice Satanas dicitur, maxime ubi de uno tantum Satana agitur, nominique Articulus praefigitur, ut h. l. et Marc. I, 13. Luc. XXII, 3. Zach. II, 1. 2. Idemque hic nominis sui mensuram omnino implevit, tum in ipsa sua appropinquatione ad Deum, quippe cuius finis ultimus erat, ut Deo et Iobo adversaretur, tum in colloquio cum Deo habito, tum maxime in operationibus infestissimis, finito colloquio peractis, et ita quidem comparatis, ut in hominem quandam vix ac ne vix quidem, in Satanam autem istum optime cadant, Iob. II, 7. coll. Luc. XIII, n. 16. Actor. X, 38. Atque, si Satanas, ita dicitur, fuit malus quidam angelus, vel potius malorum angelorum princeps; analogice huic oppositi Dei filii fuerunt boni angeli. Secundo, conventus ille filiorum Dei non potuit esse conventus humanus, piorum etiam hominum; partim, quia hoc supponeret immediatam Dei cum hominibus in horum congregacionibus sacris occupationem, antea inusitatam, et hoc casu non probandam; partim, quia Satanas vel piorum congregacionibus eo modo, quo huic congregationi interfuit, non interesse consuevit; partim, quia Iobus eiusque pii amici congregationi illi non interfuerunt, ceu vel exinde patet, quod congregationis eiusdem consequentia, passiones scilicet Iobae inde ortae, omnibus illis

illis plane ex improviso acciderint , c. I, 14. sedq. C. II, n.
 Atqui illi filii Dei fuerunt boni-angeli, qui coniunctim
 et solemniter quodam modo convenerunt, promissum
 habentissimumque cultum et ministerium Deo significaturi,
 more ministrorum humanorum, qui dominis suis
 se sistunt, iusta nova post relationem pristinorum perfe-
 ctorum exspectantes, Dan. VII, 10. Luc. I, 19. Ap. VII,
 n. coll. 1 Reg. X, 8. Alter illorum locorum esto Job.
 XXXVIII, 7. ubi legimus: *cum canerent una stellae matutinae,*
et iubilarent omnes filii Dei. Per filios Dei etiam h. l.
 nobiscum bonos angelos intelligunt tam recentiores
 quam veteres Interpretes; dum, quoad hos, Chaldaeus
 pro filiis Dei iterum posuit *catervae angelorum,*
 LXX et Arm. *angeli mei*, nec non Syr. et Ar. qui su-
 pra ad literam verterant, *fili angelorum.* Nempe, in
 posteriore dicti nostri membro epexegetico, idem boni
 angeli Dei filii dicuntur, qui in priore dicebantur stel-
 lae matutinae, propter gloriam suam, qua, ut stellae sub
 auroram mundi creatae, iam tum fulgebant quum ori-
 rentur, 1 Cor. XV, 41. Dan. XII, 3. et propter quam
 alibi quoque tam nomina quam effectus stelliferi et igniferi
 ipsis tribuuntur, Ies. VI, 2. Ps. CIV, 4. Dan. VII, 10.
 Luc. II, 9. 13. Act. XIII, 7. coll. Ies. XIV, 12. Num. XXIV,
 17. II. Petr. I, 19. Ap. XXII, 16. Atque de his bonis ange-
 lis ipse Deus h. l. praedicat concentum et iubilum, qua-
 tenus tanquam proximi et soli spectatores gloriae divi-
 nae, in creationis opere se manifestantis, Deum creato-
 rem coniunctim laudarunt et celebrarunt; qualis eorundem
 participatio in gloria Dei, quoad huius opera in re-
 gno naturae et gratiae glorioissima, passim quoque alibi
 indigatur, Ps. CIII, 20. CXLVIII, 2. Luc. II, 13 14. XV,
 7. 10. Ap. V, 11. 12. Tertius illorum locorum sit Dan. III,
 25. ubi Rex Nebucadnetsar ducibus suis dixisse perhibe-
 tur:

tur: ecce ego videns viros quatuor solitos ambulantes in me-
dio ignis, et laeso non est in eis, et aspectus quarti similis
est aspectui filii Deorum, vel Dei. Ultima quidem vox
Textus Chaldae originalis נָמָרְאַנִּי est Numeri Pluralis, a
Sing. אֱלֹהֵי Deus; licet post Interpr. Ar. Arm. LXX. et
Vulg. ipsi recentiores eam ut Nomen Singulare verterint,
collato forte Hebr. אֱלֹהִים, et Dan. II, 47. Attamen, si
vel maxime נָמָרְאַנִּי cum Syro et nonnullis recentioribus
Interpretibus Deorum vertimus, Regemque ut ethnicium
de pluribus Diis locutum esse statuimus, id nobis plane
non officit. Sufficit nobis scire, quemnam Rex per il-
lum sive Deorum sive Dei filium intellexerit. Hoc autem
ut liquide nobis constet, audiamus modo ipsum Regem,
verborum suorum optimum interpretem, v. 28. in quo
per angelum Dei interpretatur, eundem h. l. angelum
Dei vocans, quem supra filium Deorum vel Dei voca-
verat. At pergamus ad ultimum locum Luc. XX, 36.
ubi Servator praemissis illis v. 35. digni autem habiti seculi-
um illud consequi, et resurrectionem illam quae ex mortuis,
neque nubunt, neque nuptum dantur, pergit: neque enim
mori amplius possint, similes enim angelis sunt, et filii sunt
Dei, resurrectionis filii existentes. Apud Matth. c. XXII,
30. et Marc. c. XII, 25. Servator tantum enuntiat, in
resurrectione illa, quam ex mortuis resurrexerint, nec nu-
bere, nec nuptum dari, sed esse sicut angelos Dei, qui
in coelis sunt. Apud Lucam autem, partim ab initio,
resurrectionem ipsam mortuorum in primis fidelium,
cum respectu ad oppositos filios huius seculi, v. 34. clarus
proponit; partim in medio, rationem, cur in futuro
seculo nec nubant, nec nuptum dentur, addit his verbis:
neque enim mori amplius possint; partim hanc immortalita-
tem, ob quam coniugio non opus sit, aequo ac ipsam
coniugii cessationem derivat ex ιωαγγελίῳ, verbis: ιωάγ-
γελοι

γέλοι γέρε εἰσι, πρὸ quibus apud Matth. legitur: ἀλλ' οἵ ἄγγελοι τὰ Θεῖα ἐν ἁγνοῖς εἰσι, et apud Marc. ἀλλ' εἰσιν οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν τοῖς ἁγνοῖς, utroque vocis λογογέλοι explicationem suppedinante; partim denique circa finem, cum ista similitudine angelorum, qui nec nubunt, nec nuptum dantur, nec moriuntur, proxime coniungit: et vel etenim filii Dei suntⁱ, resurrectionis filii existentes, h. e. ut supra expresserat, postquam resurrectione digni habiti, eam cum seculo futuro consequuti sunt; filiorum Dei nomen hoc ipso etiam bonis angelis vindicans, quasi diceret: aequae ac angelii Dei filii sunt, cum angelis, ut in reliquis praecedentibus, ita et in hoc convenientes; non obstante peculiari fidelium filiationis, et in primis futurae, de qua hic proprie agitur, indeole.

Defuncti nunc probatione eius, quod boni angeli in sacrifici litteris denominantur Dei filii, denominationis rationes etiam investigabimus. Complures harum omnino dari, vel ex iis quae supra disservimus iam constat. Atque ne his quidem res confecta iam est. Sed ad finem Commentationis properantes, potiora ad quatuor classes generales redigemus. Primam denominationis rationem nobis invenisse videmur in origine bonorum angelorum a Deo, qui tanquam pater spirituum illos improprie genuit creatione immediata; licet tempus creationis, num, ut reliqua entia simplicia, prima die, an vero, quod ramen minus probabile, secunda creati fuerint? ob silentium Scripturae certo determinari non possit. Affirmat in etiam Scriptura originem eorum a Deo, et quidem tam explicite, Pl. CIV, 4. Hebr. I, 7. quam implicite, quibusvis eorum appellationibus, quas Genitivus Dei ingreditur, ut quum angeli Dei dicuntur, ubi Genitivus magis

cau-

causae efficientis quam possidentis et dominantis est, collato simili Genitivo, Job. XIV, 1. Luc. III, 38. VII, 28. Secundam, eamque propiorem denominationis rationem, ponimus in maxima bonorum angelorum cum Deo similitudine ac convenientia, ob quam et Dii vocantur, ut supra iam tactum. Enimvero boni angeli, aequa ac ipse Deus, Io. IV, 24. qua essentiam suam sunt spiritus immateriales et simplices, nullis partibus extra partes constantes, nullum corpus, figuram, locum, aut divisionem per se admittentes, neque in sensu incurrentes; sunt substantiae, quibus vita competit, qua rationem operationum suarum continent, et in perpetuo actu sunt, unde et adscensus descensusque ipsis tribuitur, Gen. XXVIII, 12. Io. I, 52; sunt entia intelligentia, vi distincte repraesentandi praedita, atque et intellectu et voluntate libera gaudentia: quorum omnium, tam nomina ipsorum, cum primis ipsum spiritus nomen, quam operationes, in sacris literis ipsis adscriptae, plenam sicutem faciunt. Praeterea boni angeli, tum iam in statu suo antecedente, vel originali, qui etiam gratiae, vel, termino biblico, veritas dicitur, Jo VIII, 44. tum maxime in statu suo consequente, vel confirmationis et gloriae, imaginem Dei patris sui referunt, atque sic homines longissime superant, quoad varia attributa, ad essentiam eorum pertinentia, et cum Deo ipsis communia, ut scientiae et sapientiae, qua, velut angeli lucis, Dei, ipsorum summumque cum ipsis connexarum cognitione gaudent perfectissima, II. Sam. XIV, 20. I. Cor. XIII, 1. potentiae, qua, velut heroes, fortisque viri et iuvenes, Ps. CIII, 20. Luc. XXIV, 4. Marc. XVI, 5. insigni in alia extra se agendi vi pollut, Gen. XIX, 10. II. Matth. XXVIII, 2. et sanctitatis, qua, velut angeli sancti, bonum adpergunt eligunt et peragunt, malum vero aversantur, ita quidem ut post

post confirmationem suam vel omne aberrandi peccandique periculum etiam superaverint; vestimento albo propterea quandoque usi, quod sanctitatis symbolum est, ut vestimentum splendidum et prae fulgidum, excellentiae ac dignitatis, Matth. XXVIII, 3. Marc. XVI, 5. Act. I, 10. Ap. III, 5. Luc. XXIV, 4. Iac. II, 2. Tertiam denominationis rationem collocamus in tota illa agendi ratione, qua Deus erga bonos angelos, haud secus ac pater erga filios, utitur. Certe enim Deus provida sua cura, eaque speciali, hos cives regni sui amplissimi aequae ac homines complectens, non solum illos conservat, dum existentiae viriumque continuationem illis sufficit, verum etiam illos gubernat, et actiones illorum, a quibus permultae huius universi mutationes pendent, praecipiendo determinat, disponit et moderatur; etiam si nobis parum de his constet. Dependent igitur a Deo, ratione ipsiusmet maxime proficia, ut filii a patre, singulari Dei amore, communione, et conversatione digni habiti, quum semper vident faciem patris coelestis, Matth. XVIII, 10. Quartam denique denominationis rationem facimus totam illam agendi rationem, qua boni angeli erga Deum vicissim utuntur, quoque se ut filios Dei veri nominis exhibent. Scilicet boni angeli quaevis officia filialia, et quidem lubentissime promptissimeque, Deo praestant. Enimvero amore Dei purissimo ardentissimoque, quem actiones ipsorum satis restantur, repleti, Deum venerabunde colunt et adorant coram illo stantes, Jes. VI, 2. 3. Hebr. I, 6. Ap. V, 11. sq. tanquam filii obedientissimi voluntatem Dei venti celeritate faciunt, mandatis divinis obtemperantes, iussique voluntatem diuinam exsequentes, Ps. CIII, 20. 21. immo quasi non vocati ultra se sustinet ad iussa Dei capessenda et perficienda, Job. I, 6. II, 1. de voluntate Dei ab hominibus facta impen-

se

C

se laetantur, Luc. XV, 10. et quantum modo in ipsis si-
tum est, tam in regno naturae quam in regno gratiae, fi-
delissimorum servorum instar, Deo quocunque modo
serviunt, tuuī immediate, qnōmodo et Servatori praeципue
serviverunt, Matth. IV, ii. Luc. XXII, 43. tunc mediate,
quorsum omnia ministeria universalia particularia et singu-
laria pertinent, quae hominibus propter Deum praestant,
totius generis humani singulorumque eius statum, im-
mo et singulorum hominum, ac maxime quidem piorum
et parvulorum, res curantes, utilitatemque omnium pro-
moventes quam maxime, Hebr. I, 14. Act. VII, 53. Gen.
XXIV, 7. Dan. X, 13. II. Reg. VI, 16. 17. Ps. XXXIV, 8. XCII,
11. 12. Luc. XVI, 22. Matth. XVIII, 10.


Reliquum adhuc est, ut officia solertiaque, quibus
per hactenus prolata obligamur et erigimur, paucis delibe-
ratus. Proposuimus Vobis, Cives per dilecti, bonos angelos,
splendido filiorum Dei titulo praeditos. Atqui primo Vo-
bis incumbit, ad concelebrandam Dei gloriam, ipsa angeloi-
rum procreatione manifestatam, excellentissimos dignissi-
mosque illos Dei filios, pro eo quod iustum est, magni face-
re et colere. Absit quidem a Vobis quam longissime nimius
iste bonorum angelorum cultus, a magna coetus christiani
parte, haud sine Dei ipsorumque angelorum offensione,
praesitus, Apoc. XIX, 10. XXII, 8. 9. At nec omnem bo-
norum angelorum cultum, veluti rem inanem aut super-
fluam, omittite, sed potius de beatis illis spiritibus, Vobis
longe praestantioribus, magnifice sentite, cultumque qui
eorum est eis date, dum ipsorum praesentiam, societatem,
et servitium, quod propter Deum Vobis praestant, rever-
teri, hisce omnibus bene agendo certo et maxime fruen-
dis operam navatis assiduam. Deinde, ut bonis angelis quam
simillimi evadatis, illos quomodocunque imitari Vos opor-
tet,

tet. Imitabitimini autem bonos angelos, si illorum exemplo in communione cum Deo, eiusque cognitione, veneratione, celebratione, et fruitione, summam Vestram felicitatem posueritis; si, tam privatum quam coniunctum cum aliis, coram Deo frequentissime Vos stiteritis, Deum in spiritu et veritate, adorantes; atque si sapientiae, sanctitatis, obedientiae, submissionis, officiositatis, aliarumque virtutum angelicarum fueritis studiofissimi. His quidem officiis si pro virili Vestra defungemini, nec deerunt Vobis cum iisdem connexa solatia uberrima. Plurima sane sunt et maxima, quae tam in praesente quam in futura vita a bonis angelis exspectare potestis; ac quidnam non exspectaretis ab amicissimis illis fratribus, ob praerogativas Vestras in arctiore cum Deo coniunctione, pro omni qua possent facultate, circa felicitatem Vestram promovendam Dei iussu occupatis? Inde ab incurabilis arctioris Vestrae cum Deo coniunctionis, usque ad extremum Vestrum halitum, et animarum et corporum Vestrorum curam agent fidelissimam. Nec in ipso illo extremo halitu, quo ab omnibus hominibus deferemini, Vos deferent, sed tanquam individuali socii et comites Vobis aderunt, animasque Vestras in Abrahami sinu, communem istum omnium piorum defunctorum porrump, deferent. Ac quarta deinde in seculo futuro Vestra erit felicitas! Idem boni angeli, quibus tunc filiores adhuc eritis quam in hoc seculo, cum magna felicitatis Vestrae accessione, arctiorem Vobiscum contrahent societatem, hacque societate et consortio suo Vos exhilarabunt quam maxime. O Vos terque quaterque beatos! Cives perdilecti, si quando, ut saturi diecum huius vitae molestias exantlandi, post hanc vitam, angelorum fratrum confortio iam transactam, ab iisdem

fra-

fratribus, veluti portitoribus, vel, si mavultis, veluti
Dei curru magnifico, deportabimini in alteram vitam,
cum intimiore bonorum angelorum consortio coniun-
ctam. P. P. in Academia Julia Carolina,
die XXVIII. Sept. A. R. S.

MDCCCLXIV.



C

DD A 6427

ULB Halle

002 927 292

3



WDA8

R





56 33

S. M D C C L X I V.

I N

A I V L I A C A R O L I N A

P. P.

L M S T A D I U M

I D. F. D. S C H N O E R I D

A D. T Y P O G R A F H I C